



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 117. Joannis Jacobi Panciroli Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.  
A. C. 1651.

## §. CXVII.

*Joannis Jacobi Panciroli Cardinalis extrema.*

Nonnisi duos ex Purpuratis, qui hoc anno obiire, reperio, quorum primus erat Joannes Jacobus Pancirolus patria Romanus, qui utriusque jurisprudentiæ Doctor Joanni Baptistæ Pamphilio tum Rotæ Romanæ Auditori, necnon Julio Saccheto operam suam locabat, ob morum elegantiam, ac versatile quamcunque in partem ingenium ab utroque maximi habitus: Fungebatur etiam Auditoris munere in Neapolitana & Hispana Legatione, quam idem Pamphilius obibat. Inde Romam reversus, ab Urbano VIII. Sedis Apostolicæ Nuntius Mediolanum decernebatur, ubi inter Italiæ Principes, quorum animi in bella ardebant, pacem restituit, atque in prosperi laboris præmium in Rotæ Auditorem, Patriarcham Constantinopolitanum, & Cardinalem ab eodem Pontifice nominatus est: Defuncto Urbano cum Cardinalibus conclave ingressus, Sacchetti electionem promovere, toto studio nitebatur, eo autem excluso, vela in Pamphilium vertit, miraque dexteritate Antonium Barberinum Pamphilio conciliavit, atque

*Guald. in  
Theatr. Vir.  
Illust.*



Sec. XVII. ab eodem in Pontificem assumpto maximis honoribus, & dignitatibus augebatur, summaque apud eundem Pontificem Innocentium X. potentia & auctoritate usque ad obitus sui diem valebat, quamvis infelix Franciscus Mascambrunus Pro-Datarius nefandis suis artibus haud pepercisset, ut eundem Innocentio, incassum licet, exorsum redderet: Commendatur Pancirolus præcipue ex eo, quod a sordida avaritia, aurique cupiditate alienissimus, semper aspernatus esset divitias, quas tamen immensas partim ex Pontificis favore, partim ex publici Secretarii munere, nullo negotio contrahere potuisset. Obiit Romæ in Palatio Pontificio die tertia Septembris annos natus sexaginta quatuor.

## §. CXVIII.

*Cyriacus Roccius Cardinalis mortuus.*

*Scot. in Helvet. Ciacon. in vita Urbani. VIII.* Alter erat Cyriacus Roccius itidem Romanus, qui Theologiæ laurea decoratus a Paulo V. Referendarius, a Gregorio XV. Urbinatis Pro-Legatus, ac demum ab Urbano VIII. Ferrariensis Vice-Legatus, apud Helvetios Patracensis Archiepiscopus, Nuntius Apostolicus ad Ferdinandum II. Cæsarem ac demum Cardinalis renuntiabatur, cuncta